



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia

Sulpicius <Severus>

Amstelodami, 1665

Adon Iudex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11490

enim rege Moabitarum devicti, duodeviginti annis servierunt, donec ¹ instinctu Dei, ² Adon, regem hostium ³ dolo interemit, contractoque tumultuario exercitu libertatem ⁴ armis vindicavit. Idem ⁴ per LXXX. annos in pace Hebræis præfuit.

¹ XLVII. Huic ⁵ SEMIGAR successit: hicque ⁶ adversus, Allophylos ⁷ congressus, * secundum eventum prælium fecit. Rursum

altera Hebræorum servitus.

¹ *Instinctu Dei.*] Et hac ratione excusatur Regicidium ejus. Deus enim eum suscitaverat, ut dicitur Iud. 3. 15. Dei jussus efficit ne in exemplum hoc trahi possit, ubi talis Dei jussus non est. Non magis quam quod Abraham de filio jussus est facere, & quod Israëlita res Ægyptiorum abstulere. Brutus qui Cæsarem occidit, paris videtur fuisse animi; sed ei ut divinum imperium, ita & successus defuit. *Grot.*

² *Adon.*] Corruptum ex Aod, id est, A'od, quod hodie in editione Romana Sed & in Hieronymo. Veritas Scripturæ Ahod, videlicet in Ebræo אהוד, quod nunc legunt Ehud. Alibi est Aoth, & in Polycratice Ajoth, lib. 8. cap. 20. Salmanticensis: Anno mundi 2573: cepit Ahod, qui judicavit Israël 80. annis. Hi anni finiunt in anno mundi 2653. Drusus. Iosepho, Ι'δης. Et vero nomen hoc & origine & significatione convenit cum Iuda; ideoque à quibusdam Aod exponitur confitens & laudans, ab *Origen.* Homil. 4. Laus.

³ *Dolo interemit.*] Secreti colloquii copia postulata, ipsum manu sinistra, qua æque utebatur ac dextra, peremit: deinde cæcis Moabitarum x. millibus, populum in libertatem vindicavit. Vide *Iosephum* lib. 5. 5. Qui dicit: *απληξας δ' αὐτὸν ὁ Ἰσδης εἰς τὴν καρδίαν.* Quod falsum. Nam Scriptura exertim, in ventre cæsum. *Horn.* Aod hostem potius interemit, quam populi rectorem Tyrannum. *Thomas.*

⁴ *Per LXXX. annos.*] Usque ad LXXX. annum à morte Othonielis, quo mor-

tuus est Aod successor ejus. Quare in his LXXX. annis includuntur XVII. anni servitutis Moabiticæ. Quis enim credat Aod LXXX. annis præfuisse Israël, totidemque annis nullum in Israël fuisse bellum? *Eusebius.* Alii.

⁵ *Semigar successit.*] Samgar filius Anath. Iud. 3. 31. In editione Rom. *σάμεγαρ*, & apud Iosephum *σανίγαρα*, putarim scribendum *σάμεγαρ*. Legitur & Semegar in Origine. De hoc scribit Iosephus quod primo imperii sui, vel potius judicatus, anno, mortem obierit. Salmanticensis, *Samgar præfuit anno uno.* R. Iose, *In diebus Ahod erat Samgar filius Anath, in fine dierum ejus. Eodem tractu temporis, videlicet in diebus Eglonis, accidit historia Ruth.* Drusus. Hunc Eusebius omittit. Et omittitur Iudicum 4. Quia non plene servavit Israël, nec errantes in viam reduxit. Vide Camium. Mentio Sangar & Iud. 5. 6. Quærendum etiam an Semgar judex fuerit. Si servare Israël, & Iudicem esse convertuntur, tum *ἀναφί* (ὄνητος) judex fuit, & Israël rex. *Drusus ad Jud.*

⁶ *Adversus Allophylos.*] Id est, Philisthæos, quos *ἄλλοφυλλοι* Græci vocant, id est, alienigenas, nomine generis ad certam speciem revocato. ita passim interpretes LXX. *Drus.* Quia alius originis, & ut videtur, linguæ Palæstini à Chananæis, ideo ad distinctionem vocantur *ἄλλοφυλλοι*. Quasi *ἄλλ* dicas. Sicut Gen. 14. *ἄλλ* *ἄλλ*. *Horn.*

⁷ *Congressus.*] Per se solus, ait *Abulensis*, non per socios, ut *Lyra* vult. Percussit de Philistim sexcentos viros vomere,